



**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

II. An spiratio actiua distinguatur à paternitate & filiatione?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

Caietanus.

Minor probatur quoad relationes fundatas in unitate. Quoniam hæc, ut rectè Caietanus in citatum articulum, præexigunt fundamenta distincta realiter, nam ea sunt, quæ per huiusmodi relationes similitudinis æqualitatis, & identitatis referuntur, relationes autem non sunt, nisi rationes formales, quibus fundamenta ipsa mutuo referuntur. Quantitas enim est, quæ relatione æqualitatis refertur ad alteram quantitatem. Albedo est, quæ relatione similitudinis refertur ad aliam albedinem. Cum igitur fundamentum, in quo huiusmodi relationes fundantur, non sit distinctum in Deo, sed idem in omnibus extremis, ipsa scilicet natura Diuina, ratione cuius personæ dicuntur similes, æquales, eadem inter se; non possunt relationes in ea fundatæ reales esse. Velut si esset vna numero albedo in duplici subiecto, non posset realem relationem similitudinis fundare, quia idem ad se ipsum realiter referri non potest. Neque est eadem ratio de relationibus originis productis & producti, quia illæ aut non fundantur immediatè in essentia, sed in actibus notionalibus, qui distincti inter se sunt; aut si immediatè fundantur in essentia, ut paternitas, quia tamen secum ferunt distinctas hypothèses, possunt extrema quæ constituunt realiter referre. Relationes autem similitudinis, æqualitatis &c. solum referunt fundamentum ad terminum, ergo nisi illud præsupponant distinctum, non possunt realiter referre.

17. Probatur minor quoad relationes fundatas in multitudine, & distinctione. Quoniam ad has non est necessaria noua forma, ne ratione quidem distincta ab ipsis relationibus personalibus; cum enim ipsæ seipsis oppositæ, & dissimiles sint, nõ egent distincta relatione oppositionis, & dissimilitudinis ut se inuicem respiciant, ut oppositæ, & dissimiles formaliter: præsertim cum illæ in suo genere sint infinitæ; atque adeo simplicissimè continentes omnem oppositionem, & perfectionem respectiuam in eo genere. Vnde etiam si in rebus creatis opus sit distincta relatione, qua Paternitas ad Filiationem, & Filiatio ad Paternitatem ut dissimiles, & oppositæ referantur; illa tamen necessaria non est in paternitate & filiatiōe Diuina, ob earum illimitationem & infinitatem.

Scotus.

18. Ex his patet ad fundamentum Scoti. Nam ad relationes prioris generis deficit prima distinctionis cōditio: ad relationes posterioris generis obstat essentialis oppositio, & infinitas Diuinarum personarum, quominus in illis resultet relatio oppositionis formaliter diuersæ. Ad confirmationem negatur consequentia. Nam si personæ Diuinæ essent inæquales, id esset propter inæqualitatem distinctæ naturæ, cuius unitas in causa est, ut in illis non sit similitudo & æqualitas formalis, sed tantum fundamentalis.

SECTIO II.

An Spiratio actiua distinguatur à Paternitate & Filiatione?

19. **R**atio dubitandi est, nam eadem spiratio actiua est in Patre & Filio, uterque enim spirat amorem notionalem. Sed Pater distinguitur à Filio. Ergo & actiua spiratio Patris ab actiua spiratione Filij.

20. **P**rima sententia affirmat, spirationem actiuam distingui realiter à Paternitate & Filiatione. Est Durandi in primo, distinct. 13. quæst. 2. Bassoli ibidem §. circa primum, Baconi dist. 10. art. 1. §. 4. Henrici in summa art. 60. quæst. 2. Probat. Durandus. Totum esse relationis est ad aliud. Ergo nequit Pater eadem Paternitate respicere Filium & Spiritum sanctum; nec Filius eadem filiatiōe respicere Patrem & Spiritum Sanctum.

Durandus.
Bassoli.
Baconus.
Henricus.

21. **S**ecundò. Ita se habet generare ad generari, sicut spirare ad spirari: ergo commutata proportionem ita se habet generare ad spirare, sicut generari ad spirari. Sed generari & spirari differunt realiter inter se, quia vnum constituit personam Filij, aliud personam Spiritus Sancti. Ergo & generare, & spirare differunt inter se realiter.

22. **T**ertiò. Duabus relationibus disparatis specie differentibus correspondent duæ relationes disparatæ specie etiam realiter differentes. Sed generari & spirari sunt duæ relationes specie realiter differentes. Ergo & relationes eis correspondentes, quæ sunt generare & spirare, erunt etiam specie realiter inter se differentes. Maior constat, nam eadem relatio secundum speciem non opponitur pluribus relationibus secundum speciem.

23. **Q**uartò. Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se. Ergo si generare & generari sunt eadem cum spirare, erunt eadem & inter se.

24. **Q**uintò. Ab vna & eadem actione nequeunt esse duæ processiones immediatæ. Sed generari & spirari sunt duæ emanationes passiuæ: ergo nequeunt esse ab vna & eadem actione immediata; sed generari erit immediatè à generare, & spirari à spirare.

25. **S**extò. Implicat, relationem productis & producti esse vnā & eandem, etiam respectu diuersorum. Etenim pater in humanis alia relatione respicit genitum, alia genitorem; quoniam per illam constituitur pater, per hanc verò filius. Sed spirare, & generari sunt relationes productis & producti in eadem persona respectu diuersorum; ergo nequit esse vna, sed duplex realiter distincta.

26. **S**eptimò. Generare potest esse in Patre absque spirare; nam dato, quod Pater &

Filius non spirarent. Adhuc Pater generaret, & Filius generetur. Ergo spiratio distinguitur à generare & generari.

27. Octauò. Pater producit Filium per generare. Ergo si generare & spirare sunt idem, Pater producit Filium per ipsum spirare: igitur Filius non solum erit genitus, sed etiam spiratus.

28. Nonò. Duæ res absolutæ realiter distinctæ nequeunt esse idem realiter cum alia re absoluta; ergo nec duæ respectiue realiter distinctæ cum alia relatiua. Sed paternitas & filiatio sunt duæ res respectiue realiter distinctæ; ergo nequeunt esse idem cum spiratione actiua.

Bassolus.

29. Decimò probat Bassolus. Relationes, quarum vna est constitutiva, & incommunicabilis, alia non constitutiva, & communicabilis, distinguuntur realiter: paternitas est constitutiva Patris, & incommunicabilis alijs personis; Spiratio actiua non est constitutiva Patris, & communicabilis Filio; ergo distinguuntur realiter. Maior probatur, nam quando sunt duo entia positiua, & neutrum est formaliter infinitum, si vnum est communicabile, aliud incommunicabile, ambo differunt realiter. Paternitas & spiratio actiua sunt entia positiua, & neutra est formaliter infinita, & vna est communicabilis, altera incommunicabilis: ergo &c.

30. Vndecimò. Quæcunque sunt aliquid positium extra intellectum, & vnum nequit prædicari de alio in abstracto, distinguuntur realiter. Generatio nequit prædicari in abstracto de spiratione actiua, & vtrumque est aliquid positium extra intellectum: ergo distinguuntur realiter.

Scotus.
Mayronius.
Gabriel.

31. SECUNDA sententia docet, spirationem actiuam distingui tantum formaliter ex natura rei à paternitate & filiatione. Est Scoti quodlibetò quinto, articulo secundo, §. circa tamen, Mayronii in primo, dist. 1. quæst. 3. art. 2. Gabrielis distinct. 27. quæst. 1. Probatur primò. Spiratio actiua communicatur Filio, cui non communicatur paternitas; igitur spiratio actiua distinguitur à paternitate & filiatione; alioqui idem communicaretur, & non communicaretur. Secundò. Si spiratio actiua non distingueretur à paternitate & filiatione, possent inuicem prædicari. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Tertio. Paternitas & Filiatio non sunt perfectiones infinitæ: ergo non solum eis conuenit distinctio opposita, sed etiam disparata.

S. Thomas.
Caietan.
Richardus.
Capreol.
Rubio.
Aureolus.
Argentin.
Egidius.
Ariminen.

32. TERTIA sententia negat, spirationem actiuam ex natura rei distingui à paternitate & filiatione. Est S. Thomæ 1. p. q. 30. art. 2. ad 1. & 32. art. 3. ad 3. & 36. art. 4. Caietani ibidem, Richardi in 1. dist. 18. art. 2. q. 1. & 2. Capreoli, dist. 13. artic. 2. Rubionis, q. 1. art. 1. Aureoli art. 4. propositione 2. Argentinæ distinctione 11. q. 2. art. 2. Egidij distinctione 26. circa finem, Ariminen-
lis distinctione 11. articulo primo, circa fi-

nem. Henrici in summa art. 6. q. 3. ad 3. & 4. quamuis oppositum docere videatur loco supra citato pro prima sententia; Molina 1. part. quæst. 32. art. 2. disputatione 3. Suarez de Trinit. lib. 5. cap. 5. Vasquez disputat. 138. cap. 1. Didaci Ruiz de Trinitate disputatione 17. sect. 2. Pro cuius controuersie declaratione.

Henricus.

Molina.
Suarez.
Vasquez.
Ruiz.

33. DICO 1. Spiratio actiua nequit realiter distingui à Paternitate & filiatione. Assertio est contra primam sententiam, quam Zumel 1. p. quæst. 32. art. 2. disput. 1. concl. 1. temerariam, & errori proximam; Molina in fide parum tutam & erroneam; Didacus Ruiz periculosam appellat. Et meritò, aduersarius enim definitioni Concilij Lateranensis relati capite, *Damnatus*: ubi Pontifex, toto approbante Concilio, damnat quaternitatem rerum in Deo: ex opposita autem sententia apertè sequitur rerum quaternitas in Deo. Nam præter Trinitatem personarum, daretur quartum constitutum ex natura, & spiratione actiua, vt quarta res à reliquis personis distincta.

Zumel.
Molina.
Ruiz.
Censura
contra opi-
nionis.
Concilium
Lateranen

34. Respondet Durandus, Concilium tantum damnare quaternitatem personarum, aut rerum, quæ sit trium personarum, & essentiae communis: quod tantum Ioachim Magistro sententiarum imponebat, non autem relationum re ipsa distinctarum, cum multi post Concilium in Deo admittant quaternitatem relationum. Sed contrà: nam esto hæc fuerit primaria mens Pontificis, ipsius tamen verba formaliter sumpta se extendunt ad quæcunque rerum quaternitatem; ac proinde quæcunque rerum quaternitas, saltem consequenter per hanc definitionem Pontificis in Deo damnatur. Cæterum aliud est, in Deo admittere quaternitatem relationum in ratione relationum, aliud in ratione rerum: admittunt Theologi primum, quod nos etiam infra admittimus, non autem secundum, quod sequitur ex opinione Durandi.

Durandus.

Ioachim.
Magister.

35. Secundò probatur nostra assertio ex Patribus affirmantibus, Patrem & Filium non distingui inter se, nisi sola paternitate & filiatione. Athanasius dialogo 1. de sancta Trinitate: *Nulla, inquit, differentia neque in natura, neque in voluntate, sed in eo tantum, quod gignere & gigni, emittere & procedere sine emitti inter se differunt.* Damascenus lib. 1. fidei c. 11. *Secundum omnia vnum sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, præter (si ita dicamus) ingignentiam, gignentiam, & processionem.* Cyrillus 1. thesauri cap. 8. *Pater, inquit, in Filio est, & Filius in Patre; non tamen vt idem numero. Pater enim in sua, & Filius in sua proprietate est. Hæc enim solum differentia inter ipsos est.* Si autem spiratio actiua distingueretur à Paternitate & Filiatione, non sola paternitate & filiatione, sed etiam spiratione actiua Pater & Filius distinguerentur inter se.

Athanas.

Damascen.

Cyrillus.

36. Tertiò probatur assertio ratione. Nam ex opposita sententia sequitur, in Deo esse quartam personam: consequens est hæreticum: ergo.

ergo.

ergo. Sequelam probō, quoniam ad constituendam personam in Deo sufficit relatio realis in Deitate subsistens, à cæteris relationibus realiter distincta. Spiratio actiua in sententia Durandi est relatio realis in Deitate subsistens; est enim substantialis, à cæteris relationibus Diuinis realiter distincta. Ergo.

37. Negat Durandus maiorem: quoniam ad constituendam personam requiritur incommunicabilitas; nam hæc est de essentia personalitatis, spiratio verò actiua est communis Patri & Filio, proinde nequit personam constituere. Sed contrā, quia impossibile est, Spirationem actiuam realiter distinguere à Patre & Filio, & illis esse communem: ergo si constituit aliquid realiter distinctum à Patre & Filio, constituitur aliquid ipsis incommunicabile; atque adeò tale constitutum habet rationem personæ. Antecedens probō, nam omnis realis communicatio aut fit per identitatem, aut per vñionem rei communicabilis cum eo, cui communicatur. Spiratio actiua neutro modo communicatur Patri & Filio. Ergo. Maior constat tum inductione; tum ratione. Nam omnis realis communicatio tendit ad faciendum vñum inter communicabile, & id, cui communicatur: igitur vel per identitatem, vel per vñionem, cum non sit alius modus faciendi vñum. Minor quoad identitatem est ipsa aduersarij assertio: quoad vñionem verò patet, nam omnis physica vñio facit realem compositionem cum vnitis: sed omnis realis compositio repugnat Deo actui puro: ergo.

38. Confirmatur; nam idem est in Diuinis distinguere realiter ab alio, & esse illi incommunicabile: sicut è conuerso idem est communicari alteri, & identificari cum illo; cum nequeat dari alius modus communicationis in Deo, quàm per identitatem; ergo nec alius modus incommunicationis, quàm per realem distinctionem: ideo enim paternitas est incommunicabilis filio, quia realiter distinguitur à Filio. Ergo si spiratio actiua distinguitur realiter à Patre & Filio, est illi incommunicabilis; atque adeò constituents cum natura vñum subsistens, à Patre & Filio realiter distinctum.

39. Dico 2. Spiratio actiua neque formaliter ex natura rei distinguitur à paternitate & filiatione. Assertio est contra secundam sententiam: probatur autem primò ex illo principio Anselmi ab omnibus Theologis recepto. *In Diuinis omnia sunt vñum, ubi non obuiat relationum oppositio.* quod non solum intelligendum est de perfectionibus absolutis, quæ ob sui infinitatem simpliciter identificant sibi omnia, sed etiam de reatiuis, quæ quoniam in suo genere infinitæ sunt, identificant sibi omnia, cum quibus oppositionem non habent. Sed paternitas & filiatio nullam oppositionem habent cum spiratione actiua. Ergo. Maior probatur, quia non est maior ratio, cur perfectio absoluta ex eo, quòd infinita est in

omni genere, identificare sibi debeat omnia; & perfectio reatiua, ex eo quòd infinita est in genere reatiuo, non debeat sibi identificare saltem ea, quibus cum oppositionem non habet. Nam omnis distinctio, quæ non fundatur in essentiali oppositione extremorum, necessariò oritur ex limitatione perfectionis, quæ repugnat perfectioni in creatæ & à se. Minor probatur, quoniam omnis oppositio, quam habere potest vna relatio ad aliam, aut est in ratione actualis respectus; aut in ratione originis producentis & producti, aut productiui & producibilis. Nullam ex his oppositionem habet paternitas & filiatio cum spiratione actiua; Ergo. Non actualis respectus & termini: quia terminus paternitatis est filiatio, sicut filiationis est paternitas; spirationis autem actiue terminus est ipsa passiuæ spiratio. Non in ratione originis producentis & producti; quia spiratio actiua non est origo, quæ vel Pater producit Filium, vel Filius Patrem; sed quæ uterque producit Spiritum Sanctum. Non repugnat autem, ut duæ personæ per eandem originem influant in terminum, & per eandem relationem referantur ad productum. Neque in ratione productiui, & producibilis, quia Pater non constituitur productiuus Filij spiratione, sed Paternitate. Ergo.

40. Probatur 2. ex absurdo. Sequeretur enim aliqua realis compositio ex entitate & formalitate in Diuinis personis: nam persona Patris componeretur ex Paternitate, & Spiratione actiua, tanquam ex entitate, & formalitate distincta; similiter persona Filij ex filiatione, & spiratione actiua. Repugnat autem Deo quæcunque compositio, quæ sit ex natura rei: nam quæcunque compositio tollit omnimodam simplicitatem, quæ est propria Dei, ut definitur in Concilio Lateranensi, & refertur de summa Trinitate & Fide Catholica, capite, *Firmiter*. Ex quo ulterius sequeretur, simpliciorum esse personam Spiritus Sancti, quàm Patris & Filij, quia persona Patris & Filij constitueretur ex propria personalitate, & spiratione actiua formaliter distincta; persona verò Spiritus Sancti ex sola spiratione passiuæ, absque alia formalitate ex natura rei distincta.

41. Tertiò probatur assertio nostra ad hominem contra Scotum. Sequeretur enim spirationem actiuam non solum distinguere formaliter, sed etiam realiter à paternitate & filiatione: quod notauit Rubio in primo dist. 2. quæst. 5. artic. 3. Sequelam probō, nam ideo per Scotum spiratio actiua ex natura rei distinguitur à paternitate & filiatione, quia istæ non sunt perfectiones infinitæ. Vnde concludit, quòd si essent perfectiones infinitæ, non distinguerentur inter se: perfectiones autem non infinitæ eodem modo per ipsum distinguuntur à perfectionibus disparatis, atque à perfectionibus oppositis: sed spiratio actiua ab opposita correlatione distinguitur realiter; ergo

Concilium
Lateranen.

Scotus.

Rubio.

etiam à relationibus disparatis, quales sunt paternitas & filiatio. Minor probatur, nam spiratio actiua distinguitur realiter ab opposita spiratione passiuâ, tum quia omnis relatio in Diuinis distinguitur realiter ab opposita correlatione. Tum quia sublata omnia alia relatione, per solam spirationem actiuam Pater distingueretur realiter à Spiritu Sancto, quia per eam constitueretur sufficiens principium spiratiuum realiter distinctum à termino spirabili.

42. Dico tertio. Spiratio actiua distinguitur ratione ratiocinata à paternitate & filiatione, est authorum tertie sententie. Fundamentum est, quia spiratio actiua est ad distinctum terminum formalem, nempe ad Spiritum Sanctum, qui est distinctus terminus formalis à termino paternitatis & filiationis: sed hoc ad talem distinctionem sufficit: quoniam ad distinctionem rationis ratiocinatae sufficit diuersa formalitas eiusdem entitatis: sed relatio sumit formalitatem à termino: ergo eadem relatio à diuerso termino formali diuersam sumit formalitatem.

43. Dico 4. Spiratio actiua non est vna in Patre, & Filio vnitatem rationis, sed rei. Dupliciter concipi potest spiratio actiua, vt vna in Patre & Filio: vno modo vnitatem rationis, concipientis illam, vt vnam per ordinem ad vnum terminum, quem respicit, tamen si ipsa sit duplex, partialiter existens in Patre & Filio, cum quibus vnaquæque partialis spiratio adæquatè identificetur; alio modo vnitatem reali per modum vnius formæ, eo modo, quo natura est vna numero indiuisa in tribus. Conclusio asserit, esse vnam hoc secundo modo, in quo sensu illam asserunt omnes, qui à paternitate, & filiatione ex natura rei non distinguunt. Et colligitur ex Concilio Florentino, definiente Spiritum Sanctum *unica spiratione* procedere à Patre, & Filio. Fundamentum, quia aliàs hæc relatio multiplicaretur numero; alia enim esset numero spiratio in Patre, alia in Filio; repugnat autem Diuinas relationes solo numero multiplicari, quia numerica multiplicatio limitationem importat.

44. *Obijciens.* Implicat, eandem relationem esse productam, & improductam; ergo implicat, eandem spirationem numero esse in Patre & Filio. Consequentia probatur, nam quatenus esset in Patre esset improducta; quatenus in Filio esset producta cum ipsa filiatione, cum qua formaliter identificatur. Respondeo nego consequentiam: ad cuius probationem, nego spirationem actiuam in Filio esse productam, alioqui non posset esse vna numero in Filio & Patre; nam quæ esset in Filio necessariò distingueretur à Patre, tanquam productum à producente; nam licet ea, quæ esset in Patre, quia nullo modo opponeretur Filio, neque vt principium productiuum, neque vt productio, neque vt correlatio, posset identificari cum

Filio; non tamen quæ esset in Filio, identificari posset cum Patre, quia illi opponeretur, vt principio producenti; vnde necessariò foret duplex numero spiratio actiua, altera in Patre, quæ simul posset identificari cum Filio; altera in Filio, quæ non posset identificari cum Patre. Quare dicendum est, illam esse improductam in vnoquoque, eamque communicari Filio à Patre cum ipsa natura, non via productionis, vt Filiatio; sed communicationis, vt natura, cum qua communicatur, quidquid illi non opponitur.

45. Controversia superest, an spiratio actiua saltem in ratione relationis, realiter distinguatur à paternitate, & filiatione, esto non distinguatur in ratione rei. Negant Gabriel in 1. dist. 27. q. 1. Molina qu. 32. art. 3. disput. 2. Vasquez disp. 138. c. 1.

46. Affirmant S. Thom. in 1. distinct. 27. q. 1. art. 1. Egidius art. 1. quest. 1. Capreolus disp. 13. art. 2. Zumel q. 32. art. 2. disp. 1. conclus. 3. Suarez de Trinit. l. 5. cap. 7. Quæ sententia probabilior est, & conformior modo loquendi Theologorum, qui absolute pronuntiant, in Deo esse quatuor relationes reales. Fundamentum, quia potest relatio multiplicari secundum differentiam relationis, non multiplicata secundum differentiam rei; ergo potest esse multiplex in ratione relationis, & simplex in ratione rei. Antecedens probatur; nam differentia relationis, vt relatio est, desumitur ex ordine ad terminum formalem; differentia verò rei, vt res est, desumitur ex entitate: potest autem relatio multiplicari secundum ordinem ad diuersos terminos formales, non autem secundum entitatem: igitur potest relatio esse multiplex in ratione relationis, & non in ratione rei. Minor probatur, quia vel non repugnat in creatis, vt eadem relatio entitatiue respiciat plures terminos formales, vt eademeductio indiuisibilis respicit agens, à quo est, & subiectum in quo est; & eadem entitas fundamenti in sententia non distinguente relationem à fundamento, plures terminos formaliter diuersos; vel certè non repugnat in Diuinis, vt eadem relatio ob sui infinitatem respiciat plures terminos formales.

47. Dices. Hinc sequeretur, eandem rem fore in duplici specie. Respondeo, hoc nullum esse absurdum quoad speciem relationis, quia hæc desumitur ex ordine ad terminum formalem; potest autem duplex terminus formalis respici ab vna relatione.

48. Ad argumenta primæ sententie. Ad primum distinguo consequens: nequit Pater Paternitate, formaliter sumpta, respicere Spiritum S. concedo, quia vt sic reduplicat formalē respectum ad terminum; entitatiue accepta, nego; quia, vt probatum est, non repugnat, eandem relationē entitatiue respicere plures terminos formaliter diuersos. Vnde cum dicitur, totum esse relationis est ad aliud, si intelligatur, quod totum esse, quod habet

relatio,

Gabriel.
Molina.
Vasquez.
S. Thomas.
Egidius.
Capreol.
Zumel.
Suarez.

Concilium
Florentinū.

relatio, respiciat aliud, verum est; cum nihil sit in relatione, quod terminum non respiciat; si verò intelligatur, quod vnaquæque relatio debeat secundum totum suum esse respicere vnumquodque adæquatè, est falsum; cum possit eadem relatio respicere plures terminos, atque adeò non totum esse vniuscuiusque relationis adæquatè est ad vnumquodque, sed adæquatè ad omnes terminos, quos adæquatè respicit, inadæquatè verò ad singulos.

49. Ad secundum. In diuinis deficere leges commutatæ proportionis, quoties proportio ducitur ab oppositis ad non opposita, aut contrà; vt fit in argumento Durandi; cui negandum est, ita se habere generare ad spirare, sicut generari ad spirari; quia generari opponitur spirari, vt productiuum producibili; quia Filius, qui constituitur per generari, est productiuus Spiritus Sancti, qui constituitur per spirari; generare verò nullo pacto opponitur spirare.

50. Ad tertium distingo maiorem; duabus relationibus differentibus specie, correspondent duæ relationes specie differentes in ratione relationis, concedo; in ratione rei, nego. Ex quo tantum sequitur, paternitatem & spirationem actiuam, correspondentes filiationi, & spirationi passiuæ differre tantum specie in ratione relationis per ordinem ad diuersos specie terminos, non autem in ratione rei, siue differre specie terminatiuè, non subiectiuè.

51. Ad quartum, fallaciam huius argumentationis constare in relationibus personalibus comparatis cum natura, in qua sicut ex identitate earum cum natura, non rectè infertur identitas earum inter se: ita neque ex identitate paternitatis & filiationis cum spiratione actiua, infertur identitas paternitatis & filiationis inter se. Et ratio est, quia allatum principium intelligendum tantum est de ijs, quæ adæquatè identificantur cum tercio, non autem quæ tantum inadæquatè. Ceterum paternitas & filiatione inadæquatè tantum identificantur cum spiratione actiua, quemadmodum & relationes personales cum natura; quia non cum quocunque identificatur spiratio actiua, identificatur paternitas. Vnde non bene infertur ex inadæquata identificatione paternitatis & filiationis cum spiratione, identificatio paternitatis, & filiationis inter se.

52. Ad quintum distingo maiorem. Nequeunt ab eadem actione formaliter sumpta esse duæ processiones, concedo maiorem; ab eadem actione entitatiuè sumpta, nego maiorem. Sed generari & spirari sunt ab eadem actiua origine entitatiuè, concedo; formaliter, nego. Etenim licet generatio, & spiratio in Patre sit eadem realitas, est tamen diuersa formalitas virtualiter, non formalitate rei, sed formalitate actionis respicientis diuersum terminum formalem.

53. Ad sextum neganda est maior. Et quidquid sit de exemplo, & ratione ducta ex humanis: dispar est ratio de relationibus diuinis, quæ cum in genere relationis sint infinitæ, multa præstare potest vna simplex relatio increata, quæ nequeunt multæ, ac diuersæ relationes creatæ.

54. Ad septimum ex ea hypothese impossibile nulla de facto concluditur distinctio inter paternitatem, & spirationem actiuam. Nam sicut impossibile est, quin Pater spiret; ita impossibile est, quin de facto cum ipsa paternitate coniunctam habeat spirationem actiuam. In eo autem casu sicut persona Patris non esset cum eadem perfectione & virtute productiua; ita nil mirum, si nec esset cum eadem perfectione actiua spirationis.

55. Ad octauum neganda est sequela. Quia licet generare & spirare in Patre sint idem, tamen connotant diuersos actus, & terminos: nam generare connotat actum intellectus & terminum generandum: spirare verò actum voluntatis & terminum spirandum. Vnde sicut non potest dici, quod Pater generet voluntate, & spiret intellectu, etiam si voluntas & intellectus in Deo sint idem; ita nec quod Filium producat per spirare, vel Spiritum Sanctum per generare. Ratio est, quia verba reddunt sensum formalem, & important principium præcisè secundum illam formalitatem, ex qua proximè fluit actus.

56. Ad nonum nego consequentiam. Ratio, quia duæ res absolutæ nequeunt inter se distingui, nisi propter limitationem: quæ autem hoc modo distinguuntur, nequeunt identificari cum alia re. At duæ res respectiuè non semper distinguuntur propter limitationem, sed propter essentialē oppositionem, quam habent ad inuicem. Quo fit, vt si illæ infinitæ sint, possint quoad alias perfectiones, in quibus non opponuntur, mutuo identificari. Tales sunt paternitas, & filiatione in diuinis, quæ inter se distinguuntur, non propter limitationem, sed propter essentialē oppositionem; atque adeò poterunt quoad reliquas perfectiones, in quibus non opponuntur, realiter identificari.

57. Ad decimum nego maiorem. Constat in paternitate, & natura diuina, quarum vna est communicabilis, altera incommunicabilis; neutra tamen ab altera distinguitur realiter. Ad probationem, nego, paternitatem & spirationem actiuam non esse infinitas in suo genere: ratione cuius infinitatis possunt in eo, in quo non opponuntur, non solum realiter, sed etiam formaliter identificari.

58. Ad vndecimum, neganda est maior. Etenim ratio cur spiratio actiua nequeat in abstracto prædicari de paternitate & filiatione, non est realis distinctio inter eas, sed sola distinctio virtualis cum diuersa connotatione terminorum: nam pa-

ternitas connotat filiationem, spiratio verò actiua spirationem passiuam. Propter quam diuersam connotationem terminorum nequit vna in abstracto prædicari de altera, sicut potest vna perfectio absoluta de alia etiam in abstracto enunciari; rectè enim dicitur: Sapientia diuina est bonitas; & vice versa. Quia hæ rationes, cum sint ad se, nullum connotant terminum diuersum. Ob eandem rationem nequit generatio prædicari de spiratione, aut actus generandi de voluntate, vel actus spirandi de intellectu; quia per huiusmodi actus connotantur diuersi termini, & principia proximè ad actum concurrentia.

59. Ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primum nego consequentiam: ad cuius probationem dico, paternitatem communicari secundum vnā rationem, non communicari secundum aliam, virtualiter tantum distinctam: sicut natura diuina, vt absoluta communicatur, vt respectiua non communicatur; ad hoc enim sufficit virtualis distinctio vnus rationis ab alia. Ad secundum nego sequelam, vt constet ex responsione ad vndecimum. Ad tertium nego antecedens.

SECTIO III.

Quodnam sit munus spirationis actiue?

60. **Q**uadruplex potest esse munus spirationis actiue. Primum constituere personam. Secundum complere virtutem spiratiuam. Tertium actiue originare terminum spirabilem. Quartum referre principium spiratiuum ad oppositam correlationem spirationis passiuæ. Hæc enim omnia exercet paternitas in Patre; nam constituit personam; complet vim generatiuam; actiue originat terminum generabilem; & formaliter refert principium generatiuum ad oppositam relationem filiationis. Controversia igitur est, quodnam munus ex his conueniat spirationi actiue.

61. Notandum autem est, quod qui spirationi actiue tribuit munus constituendi personam, consequenter etiam illi tribuit munus complendi virtutem originandi personam, & simul referendi subiectum ad oppositum terminum; quia cum hæc relatio sit in persona producente, si illam constituit in ratione personæ, simul etiam complet in virtute spirandi, originandi, & referendi ad terminum productum. Item qui ei tribuit munus complendi virtutem, simul etiam tribuit munus originandi, & referendi: quique tribuit munus originandi, simul ei tribuit & munus referendi. Contrà verò, qui illi tribuit solum munus referendi, eo ipso illi negat reliqua munia superiora, eo quod munus

superius includit inferius, non contrà. His adnotatis,

62. PRIMA sententia docet, spirationem actiuam constituere personam Patris & Filij. Est Aureoli in 1. distinct. 11. art. 3. propos. 1. 2. & 3. & distinct. 12. quest. 1. & distinct. 13. art. 4. Fundamentum est, nam aliàs spiratio actiua accideret personæ Patris & Filij; quidquid enim essentiam, vel personam non constituit, accidit personæ: nam omnis substantialis constitutio aut est naturæ, aut personæ: atqui spiratio actiua non constituit naturam, cum non sit perfectio absoluta; ergo si nec constituit personam, erit accidens personæ. Confirmatur. Non minoris efficacis est spiratio actiua, quàm passiuæ; atqui passiuæ personam constituit; ergo & actiua.

63. SECUNDA sententia affirmat, spirationem actiuam solum referre personam Patris & Filij ad Spiritum Sanctum sub ratione Spiratoris. Est Henrici in summa artic. 60. quest. 5. Egidij in 1. dist. 11. artic. 2. quest. 2. in fine corp. & quest. 3. Zumel 1. p. quest. 36. artic. 4. disput. 2. Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 6. & lib. 10. cap. 4. Probatur 1. Idem est immediatum principium productionum per intellectum, & per voluntatem: ergo si Pater sola paternitate constitutus generat, sola paternitate constitutus spirat. Consequentia pater. Antecedens probatur, quia Amor procedit ex notitia obiecti amati: ergo idem est amans, qui intelligens. Ergo idem spirat amando, qui generat intelligendo. Id ipsum constat de Filio, qui vt supponitur prior origine productioni per voluntatem, per solam filiationem habet, quidquid requiritur ad spirandum.

64. Secundò. Tota vis spirandi est voluntas, relatio est sola conditio distinguens tantum personam spirantem à termino spirabili. Sed paternitas & filiatio sufficienter distinguunt personam spirantem à termino spirabili: Ergo spiratio actiua est purus respectus consequens ad productionem personæ spiratæ. Consequentia patet, nam quidquid requiritur per modum principij, vel originis ad spirandum, totum id præstat voluntas personæ distincta à termino spirabili: ergo spiratio actiua non requiritur, nisi vt purus respectus, & formalis referentia ad terminum.

65. Confirmatur. Nam ex quo tota vis producendi est natura, ea semel per aliquam relationem determinata ad personam, sit sufficienter productiua cuiuscunque actionis possibilis. Ex quo colligunt, spirationem actiuam non recipi immediatè in natura, sed in patre & filio, non quatenus sunt vnum, sed quatenus sunt plures: quia cum hæc relatio non habeat nisi referre, & referri in Deo non possit nisi persona, immediatè recipi debet in persona Patris & Filij, quos tantum refert ad terminum spiratum; ad cuius productionem resultat, censeturque aduenire Patri & Filio perfectè constitutis, in virtute spirandi, tanquàm purus respectus ad terminum spiratū.

Aureolus.

Henricus.
Egidius.
Zumel.
Suarez.